

lutum decretum fingunt, sive illud *Vniversalismi* blandiori, seu *Particularismi* rigidiori nomine commendent, atque sic vocatorum numerum magnum restringunt, & *subtractionem* ante *subtractionem* instituunt, ac satisfactionem Christi aut non pro omnibus, aut saltem non cum efficacia factam, comminiscuntur: Et ut rem aliquo colore pingant, *propositiones universales accommodas*, i. e. *universales* & simul *particulares* fingunt, quod DEVS omnes poenitentes velit salvos esse, quod Christus passus fuerit pro omnibus poenitentibus & fidelibus: quod omnes poenitentes & fideles efficacissime ad salutem vocentur: illas tamen propositiones admittere nequaquam possumus, cum voluntatem antecedentem, qua ista omnia ad homines singulos pertinent, nemine excepto, restringant, praeter morem Scripturae, quae tales propositiones quam potest fieri *universalissimas* format. 1. *Tim. II, 4.* 2. *actus* redemptionis, vocationis & alios cum eorum *fructu*, *acquisitionem* cum *applicatione*, *oblationem* cum *acceptatione* confundant, atque sic totam salutis viam pervertant: & 3. quam textus noster docebat, numerationem divinam injustam reddant, ac *subtractionem absolutam* & *activam* DEI statuunt, imo *residuum* a coetu reliquo hominum ad ecclesiam DEI vocatorum non recte distingvant, quandoquidem eos praeter electos, omnes, uti dictum, pro non vocatis habent & agnoscunt. Quomodo itaque D. STRIMESIVS has propositiones universales accommodas adeo potuerit depraedicare, ut asserere haud vereatur, majus solatium eas praebere peccatoribus, quam quidem propositiones simpliciter universales, contra omnem Syllogismi rationem & concludendi regulas, minime videmus, *Im kurtzen Entwurff der Einigkeit. S. 26. p. 120. seq.*

XXII.

Gravius adhuc impingit in Computum DEI ab Aposto-
lo

lo